



**R. P. Ferdinandi De Castro Palao, Legionensis Soc. Iesv,
Sacrae Theologiae Professoris, Et sanctae Inquisitionis
Qualificatoris & Consultoris; Operis Moralis, De Virtutibus,
Et Vitiis Contrariis, In ...**

Continet Tractatus De Conscientia, De Peccatis, De Legibus, De Fide, Spe,
Et Charitate

Castro Palao, Fernando de

Lugduni, 1669

§. 6. Quid dicendum de religionum approbatione, An inquam, Pontifex
errare possit?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76540](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76540)

offerretur nomine totius Ecclesie; consequenter iudicavit posse quemlibet fidelem, si velit, similem eis, ex devotione honorem præstare. Hoc posito,

7 Dicendum est laqueus pius, & probabilis esse, posse quemlibet sacerdotem Missam votivam, & officium votivum recitare in honorem illius beatificati, pro quo Sedes Apostolica concessit alicui specialis religioni, vel provincie Missam, & officium proprium aliquo die celebrare. Probo quia vna Missa in vno loco eiusdem valoris est, & ælimationis: ac plures Missæ pluribus in locis factæ, Ergo Sedes Apostolica concedens, vt in honorem alicuius Missa aliqua dicatur, simul declarat dignum esse, in cuius honorem omnes dici possent, Sed hac declaratione facta tollitur prohibitio relata in cap. 1. de reliq. & venerat. Sanctorum, in quo cauetur neminem esse venerandum sine autoritate Romanæ Sedis. Nam cum hunc Sanctum ex tua devotione veneraris, autoritate Sedis Romanæ facis, quæ iudicavit dignum esse illa veneratione. Neque oblat si dicas verum esse Romanam Ecclesiam concedentem, vt in honorem alicuius Missa celebretur, simul declarat dignum esse, vt ab omnibus Sacerdotibus illo cultu possit venerari: at inde non inferri, posse omnes Sacerdotes illum venerari, non quia beatificatus dignus non sit, sed quia ipsi impediunt. Non, inquam, oblat, quia nemini publicum religionum cultum ex devotione alicui exhibendum impeditur, nisi quia is, cui est exhibendus, non iudicatur à Sede Apostolica dignus illo: quod constat manifestè ex his, quæ dicit Alexander III. in cap. 1. de reliq. & veneratione Sanctorum. vbi occasione aliquotum, qui hominem quendam in potatione, & oblatione occisum venerabantur tanquam Sanctum, subiungit: Illam ergo non presumis de cætero colere, cum etiam si per eum miracula fierent, non liceret vobis ipsum pro Sancto absque autoritate Romanæ Ecclesie venerari. Ergo solum ad venerationem exhibendam requiritur Alexander, vt prius Romana Ecclesia illum pro Sancto veneretur, sed eo ipso, quod concedit Romana Ecclesia Missam in honorem ipsius celebrare, illum pro Sancto venerari; siquidem exhibet illi supremum cultum, quem exhibere potest. Ergo hac concessione facta quilibet poterit eodem cultu Sanctum pro devotione venerari.

Et confirmo exemplo cuiuslibet Sancti canonizati; in cuius honorem omnes conveniunt posse vtiliter, & quolibet die quemlibet Sacerdotem Missam dicere, non quidem propriam quia tunc non pro vno die illi est assignata, sed votivam, iuxta regulas Missæ votivæ, eo quod à Sede Apostolica iudicatus est dignus, cuius honor exhibetur, sed etiam in Sancto beatificato simile iudicium fecit, cum Missam in ipsius honorem dicere aliquibus personis permisit. Ergo,

Ex his inferri posse quemlibet eius imaginem adorare, & adorandam in altari constituere, & publicis processionibus circumferre; hi enim cultus longe inferiores sunt Missæ, & officio, si ergo Pontifex cum dignum iudicavit cultu, qui per Missam, & officium canonicum exhibetur, à fortiori dignus iudicatus est omnibus aliis.

8 Argumenta in contrarium nullius sunt ponderis.

Ad primum respondetur vt ibi. Ad probationem dico auctoritatem Sedis Apostolicæ religionis concedere Missam, & officium diuinum in honorem illius Sancti, dupliciter intercedere posse. Primò approbando Sanctum, vt dignum in cuius honorem Missa, & officium ab omnibus celebratur. Secundò concedendo facultatem aliquibus tantum Missam, & officium proprium dicendi. Hoc secundo, modo admitto pro aliquibus tantum personis auctoritatem Apostolicam intercedere, sicut etiam solet reperiri in Sancto canonizato. Ad primo modo respectu totius Ecclesie vniuersalis, auctoritas Apostolica intercessit ob rationem in conclusione allatam.

Ad secundum respondeo diuersum esse dicere Missam & officium diuinum proprium, ac dicere ex devotione; dicere enim proprium, specialis solemnitas, & fauor est factus ab Apostolica Sede: sicuti erat specialis fauor factus religioni Sebastiani Francisci, & singularis honor S. D. daci; cum in ipsius honorem ab omnibus Ecclesie sacerdotibus Missa propria in eius die festissimi obitus dicebatur; at non ex eo quod in præsentia nemi alteri à religionis D. Francisci liceat Missam propriam dicere, prohiberi (sunt qui voluerint dicere votivam).

Ad tertiam concessionem illam, & esse privilegium, & esse remotionem conditionis, sub qua lex lata in cap. 1. de reliq. & vener. Sancti obligat. Et enim remota illius conditionis, quantum est approbatio dignitatis, & meriti Sancti beatificati. Nam cum illa lex prohibeat venerationem publicam Sancti, qui à Romana Ecclesia probatus non fuerit, approbatione Pontificis remouetur conditio, & quæ ad prohibitionem. Est item illa concessio privilegium quatenus est concessio, & facultas Missam propriam, & officium proprium dicendi. Ex quo fit prohibitionem factam in d. cap. 1. cessare in veneratione Sancti beatificati, quia cessat negatio approbationis Pontificis sub qua obligat.

Ad quartum dico esse diuersam rationem inter Sanctum canonizatum, & beatificatum: nam licet de pluribus Sanctis canonizatis non possit Missa propria, & officium proprium

dici, eo quod non sint relati in Missali, & Breviario. Et in hac parte nulla videtur specialis differentia inter canonizatum, & beatificatum: at de Sancto canonizato dici posset, præcipi saltem quoad speciem illum credere in cælis existere, & dignum esse in cuius honorem Missa, & officium celebraretur; de Sancto tamen beatificato id solum permitti. Quapropter concludo posse Ecclesias Cathedralis, Episcopos cum suis Clericis (supradictos Sanctos beatificatos honorare Missa Pontificia, & officio votiuo, processioneque solemnitate, cui opinioni subscriperunt Salmantica anno Domini 1625. cum hic casus consultus fuit, Doctor Balboa in Ecclesia Salmanticaensi doctoralis, & in vniuersitate primam cathedram canonum regens, D. D. Aluatus de Oca, & Sarmiento vespertinæ cathedræ canonum moderator, D. Martinus de Bonilla decreti cathedram regens, D. D. Petrus de Vaga, primarius legum professor Sedis, Augustiniana familia subscriperunt M. g. Basilius de Leon, M. Bernardus Rodriq. M. Franciscus Dominguez in vniuersitate professores; & etiam ex familia D. Bernardi subscripsit M. Angel, Manrique, M. Alphonsus Perez, M. Ludovic. Bernard. Ex familia D. Benedicti subscripsit M. Fr. Didac. de Salazar, M. Benedictus de la Serna. Ex D. Francisco, Fr. Petrus Ladion de Guenara, Fr. Laurentius de Villareal, Fr. Sebastianus Fajardo. Ex familia virginis de la Merced subscripsit M. Gaspar de los Reyes. Ex nostra Societate subscriperunt PP. Ioannes de Montemayor, Franciscus de Prado, Petrus Pimentel, Ludovic. Roa, Ioannes Martinez, & ego minimus, aderam enim tunc Salmantica.

§. VI.

Quid dicendum de religionum approbatione, an inquam, Pontifex errare possit.

1. Nequaquam Pontifex approbare potest religionem aliquam consentaneam esse Euangelio, quæ illud non sit.
2. Neque secundum leges prudentiæ errare potest Pontifex in religionum approbatione, qui affirmat.
3. Contrarium qui defendunt, & quomodo probent.
4. Namquam est presumendum Pontificem in hac materia minus cauti, & prudenter procedere.

1. **C**um Pontifex religionem aliquam approbat, approbat vitæ aliquod institutum sub voto pauperatis, castitatis, & obedientiæ, tanquam aptissimum, & Euangelio nimis conforme ad salutem consequendam: hoc autem institutum & continet finem aliquem ad diuinam gloriam & salutem æternam pertinentem, & insuper media aliqua, quibus hic finis obtineri potest. Dicendum ergo existimo de fide esse, non posse Pontificem in approbatione huius finis, & mediotorum, quæ sibi proponuntur, errare; ita vt approbet tanquam consentaneam euangelicæ perfectioni, quod verè consentaneum non sit, sic docet Valent. 2. 2. disp. 1. q. 1. p. 6. §. 4. 1. col. 220. & colligitur ex Constantiensis sess. 8. vbi damnatur vitio loco error Yriclephi, asserentis impudentissimè omnes religiones indifferenter esse introductas à diabolo: cui errori non leue patrocinium esset, si Pontifex posset aliquam religionem contrariam euangelicæ perfectioni approbare vt conuenientem; talis enim approbatio à diabolo esset, non à Christo, & eius vicario. Probo autem breuiter supradictam conclusionem esse de fide; quia de fide est Pontificem, quatenus talis est, errare non posse, ita is, quæ ad fidem, & motes pertinent vniuersalis Ecclesie; non enim vniuersalem Ecclesiam docere potest aliquod falsum; aliàs non esset in Ecclesia promissus spiritus veritatis; sed si Pontifex approbans aliquod institutum religionum tanquam Euangelicæ perfectioni conueniens approbaret, quod re vera conueniens non est, sed potius contrarium, errore pernicioso Ecclesiam obruderet, Ergo id fieri nullatenus potest.

2. Quæ inter Catholicos solum esse potest difficultas, an secundum leges prudentiæ errare possit Pontifex approbando aliquam religionem, cuius institutum licet malum non sit, neque contrarium perfectioni euangelicæ; est tamen minus conueniens Ecclesie, vel quia nimis durum, vel laxum sit; vel quia ex illo sequitur consilio aliqua in Ecclesia, & feruoris spiritualis in aliis religionibus diminutio.

In qua re Valent. disp. 1. q. 1. p. 7. §. 4. 1. col. 231. vers. quod verò armet, affirmat nequaquam in hac parte Pontificem errare posse. Mouetur efficaci satis ratione: si enim Pontifex admittit religionem quam spectatis omnibus circumstantiis d. bebatur reuocare, Ecclesiam obligat ad rem aliquam, quæ non in Ecclesie edificationem, sed potius destructionem credit: siquidem obligat Ecclesiam, ne religionem illam reiciat, sed potius accipiat, & religiosi illius secum habitare permittat: quæ religio, vt supponitur, spectatis omnibus circumstantiis minus finis conueniens est, quam esset carentia illius; sed Pontifex ita non est potestas obligandi Ecclesiam in his quæ illi nociva sunt. Ergo non potest Pontifex approbare religionem Ecclesie vniuersali nocivam, ex quacumque parte nocivam proueniat.

DE
ASISTRU
SALAZAR
TOM.
IIII



3. Contrarium defendit Bannes 2.2. *quasi. 1. art. 10. dub. 8. conclus. 5.* Mouetur primo, quia Innocentius III. in *cap. ult. de religiosis* & Gregorius X. in *cap. 1. eodem tit. in 6. prohibet* firmiter notuam religionum institutionem, ne nimia religionum diuersitas grauem in Ecclesia Dei confusionem inducat. Sentit ergo Pontifex tunc temporis non esse conueniens nouam religionem institueret. Ergo si de facto illam approbaret, tem inconuenientem Ecclesiae videretur facere. Secundo saepe approbatae religiones Pontifex reformauit, vel dissoluit. Ergo sentit Ecclesiae Dei non conuenire, vt existerent. Nam ideo dissoluit, quia non iudicauerit conuenientes. Ergo ante dissolutionem inconuenientes erant. Sed non obstante hac inconuenientia approbabantur, & Pontifex obligabat vniuersam Ecclesiam ad illarum receptionem. Ergo optime Pontifex potest obligare vniuersam Ecclesiam ad rem, quae illi aliquo modo inconueniens est; quia ex alio capite habet conuenientiam. Tertio, Negari non potest, posse Pontificem leges rerum agendarum, & quae necessario tenentur Ecclesiae gubernationi inconueniens fieri. Ergo similiter poterit religiones ita multiplicare, vt earum multiplicatio confusionem inducat, & regimini Ecclesiae prauidetur.

4. Ergo veto dicendam existimo nunquam praesumendum esse Pontificem in approbatione cuiusvis religionis minus caute & prudenter procedere, esse enim iniuria non leuis facta Pontifici, & contra debitam reuerentiam, & subordinationem, quam debent filiales suo supremo pastori exhibere; de facto tamen, & in re ipsa minus caute & prudenter procedere aliquando potest non quidem approbando religionem, quae re vera inconueniens sit se, sed quae ex aduersis circumstantiis minus conueniat. Neque aliud probant argumenta Bannes, quibus ratio Valentia non obstat. Concedimus namque Pontifici datam non esse potestatem obligandi Ecclesiam ad ea, quae absolute nocua sunt & ipse illius destructionem. Affirmamus tamen esse datam potestatem obligandi Ecclesiam ad ea, quae absolute illi conueniunt, ut non aequae conuenientia sint, ac opposita. Alias pluries legum obligatio cessaret, neque firmi esse possemus in illarum executione.

§. VII.

An concilia generalia, & provincialia errare possint in rebus fidei definiendis.

1. Praemittitur triplex esse Concilium generale, prouinciale, & Episcopale.
2. Concilio non potest Pontifex delegare potestatem definiendi infallibiliter res fidei.
3. De fide est Concilium a Pontifice confirmatum auctoritatis esse infallibile.
4. Ante confirmationem nullam habet auctoritatem infallibilem.
5. Propriuntur aduersus supra dicta aliquot obiectiones, & soluntur.

1. Praemitti debet triplex esse Concilium, Synodum, seu congregationem sacerdotum, maxime Episcoporum ad res fidei definiendas, primo generale, in quo ex necessitate conuocantur Episcopi omnium regnorum, vt veniant quotquot poterint: iuxta textum in *cap. placuit. 18. dist. 14. de iureiurand.* Abbates vero generales ordinis, & alij homines docti ex privilegio conueniunt: vt notauit Turrecemata lib. 3. de Ecclesia, *cap. 5. & 16.* Secundum est Concilium prouinciale in quo congregantur Episcopi vnius prouinciae, aut regni. Tertium est Concilium Episcopale, seu locale, vbi clerici totius diocesis congregantur. Concilium generale auctoritate Pontificis est necessario congregandum vt constat ex *cap. bene quidem. 96. distinct. 17. & habetur in cap. significasti. de electione.* & tradit plurius ex omni Turrecemata lib. 3. de Ecclesia, *cap. 6. 7. 34. & 35.* Caeterum opusculi de auctoritate, *cap. 16.* Bellarini, *tom. 1. controuers. 4.* Et ratio est manifesta, quia conuentus, & congregatio Episcoporum sine voluntate, & consensu capituli, quae est Pontifex non Concilium Ecclesiasticum nuncupari debet, sed schisma, & conspiratio, vt dicit Pelagius c. multis, 17. distinct. Sicuti si Magnates regni conueniant absque consensu Regis ad agendum de legibus regni, non comitia, sed conspiratio dixeretur; vt bene expendit Bannes 2.2. *quasi. 1. art. 10. dub. 3. morab. 3.* Valent. *disp. 1. q. 1. punct. 7. §. 45. col. 270.* Concilium prouinciale auctoritate Metropolitanis, seu primatis euocatur. Concilium diocesanae auctoritate Episcopi, vt ex ipso vltimo constat, & tradunt supra relati Doctores.

Secundo praemittit loqui non posse de Concilio ante Pontificis confirmationem, vel post illam.

2. Praemittit tertio non posse Pontificem delegare potestatem definiendi infallibiliter res fidei. Ratio est, quia haec consistit in assentientia diuini Spiritus ex successoribus solus ille, & cum solum facta sit Petri, & eius successoribus habere possunt. Ergo alius non potest illam ex delegatione neque alia via habere. Item quia haec potestas est quadam gratia pertinet ad donum Apostolicum, sicuti & prophetia, & scientia & sapientia, quae aliis communicari non possunt: & ita tradit Turrecemata lib. 3. de Ecclesia, *cap. 6. 8. & 38.* Bannes 2.2. *quasi. 1. art. 10. dub. 4. vers. sic. quapropter secundo supponendum est. Cano. lib. 5. Valent. *disp. 1. q. 1. punct. 7. §. 45. col. 273.**

3. Dico primo de fide esse, quodlibet Concilium auctoritatis esse infallibile, si a Romano Pontifice fuerit confirmatum quia Romanus Pontifex est suprema, & infallibilis regula veritatis, Ergo vbi quicquid eius confirmatio accesserit, error committi non potest. Deinde, quia primum Concilium, quod fuit in Ecclesia celebratum non fuit generale, sed praesiale; non enim fuit ex omnibus Apostolis, sed tantum ex quatuor, nempe Petro, Paulo, Iacobo, & Barnaba: & tamen ibi dictum fuit, *visum est spiritui sancto & nobis.* Ergo ad definitionem faciendam non indiget Pontifex generali Concilio. Denique plures errores damnati sunt in Sinodis prouincialibus a Pontifice confirmatis, qualis fuit error relatus in Mileuitana Sinodo sub Innocentio, Et in Araucana, & Cartaginensi a Leone 1. & Bonifacio. Et error presbiterianus in Concilio Toletano 1. confirmato a Leone 1. & nuper ex Sixto IV. confirmatum est Complutense Concilium, in quo fuerunt damnati errores Petri Oronien. & ex *cap. de libellis. distinct. 10.* conitit decreta Concilij prouincialis Carthaginensi Ancyran. Neocaesariensi. Gangren. Sardiceni. Africani recepta esse tanquam de fide ab vniuersa Ecclesia. Ergo.

4. Dico secundo. Ante confirmationem Pontificis nullum Concilium quantumuis generale est infallibilis veritatis: sic tradit ex communi sententia Bannes 2.2. *quasi. 1. art. 10. dub. 3. conclus. 3. & dub. 4. conclus. 2.* Valent. *disp. 1. q. 1. punct. 7. §. 45.* Probo primo, quia remini, nisi Petro & eius successoribus concessa est spiritus diuini assistentia, ne in rebus fidei erret vt ex saepe dictis constat. Sed Concilium, quantumuis congregatum sit auctoritate Pontificis, non est successor Petri, sed solum Pontifex. Ergo Concilium, vt distinctum a Pontifice, non est infallibilis veritatis. Secundo omnia Concilia, quae in Ecclesia aliam auctoritatem habent, a Sede Apostolica sunt approbata, vt constat ex *cap. significasti. de elect.* vbi papalis Pontifex ait: *Omnia Concilia per Romanam Ecclesiam auctoritatem facta sunt, & robur acceperunt.* & in *cap. Concilia. distinct. 17.* inquit Symmachus. *quod quia non habent, praesentiam meam id est auctoritatem Petri, & eius successorum, & ideo quae Concilia hanc confirmationem expostulant, vt videri potest ex his, quae referunt Turrecemata lib. 3. cap. 34. & constat ex Trident. sess. ult. in decreto de fine Concilij, ibi enim decretum petendum esse per Legatos confirmationem a Sede Apostolica. Sentitur ergo Concilia absque hac confirmatione, & approbatione firmari, & infallibiliter veritatem non docere. Tertio a Concilio generali quantumuis legitime congregato datur appellatio ad Romanam Sedem. Sed a prima regula & infallibilis veritatis dari non potest appellatio, vt de se constat. Ergo Concilium seculo Pontifice non est prima regula, & infallibilis veritatis. Maior propositio, in qua est difficultas, decidit ad Bonifac. VIII. in *Extrauag. vnam sanctam. de maior. & obedient. inter communes.* & late, & erudite probat Turrecemata lib. 3. *sum. cap. 47.* & D. Thomas *quasi. 10. de potent. 1. ar. 4. ad 13.* Quarto, quia sunt aliqua Concilia generalia auctoritate Pontificis congregata, non tamen confirmata in quibus aliqui errores inueniuntur. Ergo Concilium non confirmatum a Sede Apostolica non est infallibilis veritatis. Antecedens probatur tum ex Concilio Ephesino II. quod fuit a Leone I. inditum, non tamen confirmatum, quod errores Dioscori, & Eutycheris admisit, vt tradit idem Leo *epist. 11. 13.* & 21. & aliis *segg.* Tum ex Concilio Nicaeno, sub Eugenio IV. cuius defectus expendit Turrecem. lib. 3. de Ecclesia, *cap. 100.* & Caietan. in *traet. de auctor. Pontif. cap. 8.**

5. Verum aduersus hanc, meo iudicio, indubitata sententiam, sunt aliquot obiectiones, ex quarum solutione magis eius veritas elucidabitur. Primo, Concilium generale auctoritate Pontificis congregatum representat totam Ecclesiam, & maxime, si ibi adsint Sedes Apostolicae Legati, vt docuit Martin. V. in fine Concilij Constantiensis: sed Ecclesia vniuersalis errare non potest, etiam si non erret Pontifex; alias aduersus Ecclesiam potest inferri praesulerent. Ergo Concilium etiam vt distinctum a Pontifice est infallibilis veritatis. Huic obiectioni respondet Melchior Canus lib. 5. de locis *Theolog. cap. 5.* & Bannes 2.2. *quasi. 1. art. 10. dub. 4. conclus. 2.* & ad primum argumentum, circa finem Concilium generale si sumatur pro omnibus Patribus Concilij errare non posse; si sumatur pro omnes Ecclesiae fideles: at si sumatur pro maiori parte congregatorum errare potest. Sed haec solutio mihi non probatur, pugnat enim cum doctrina conclusionis: si quidem infallibilem veritatem concedit omnibus Patribus Concilij vt a Pontifice distinctis. Quapropter secundo respondeo, illi vt a Pontifice distinctis, & Legatos Sedis Apostolicae, etiam omnes Patres Concilij, & Legatos Sedis Apostolicae, etiam omnes de raio, vel nunquam errant, errare tamen posse: neque obinde sequitur